

DISSERTATIO IN AVGVRALIS ANATOMICO - MEDICA
SISTENS

**SINGVLARIA QVÆDAM
AD VESICVLAM FELLEAM
EIVSQVE BILEM SPECTANTIA**

QVAM
DIVINI NVMINIS AVSPICIIS IVSSV ET AVCTORITATE
GRATIOSI ORDINIS MEDICI

PRÆSIDE

VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO ATQUE
EXPERIENTISSIMO

DN. JOANNE JVNCKERO
MEDICINAE DOCTORE EIVSEMQUE PROFESSORE
PVBLICO ORDINARIO

DOMINO PATRONO PRÆCEPTORE AC PROMOTORE SVO
PARENTIS LOCO ÆTATEM COLENDO

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQUE IN ARTE MEDICA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS RITE OBTINENDIS

H. L. Q. C.

AD D. SEPT. ANNO MDCCXLV.

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT
AVCTOR ET RESPONDENS

IOANNES DAVID LORENTZ,

HALENSIS MAGDEB.

HALAE MAGDEBURGICAE

Typis IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

SINGULARE AVA
AD AEGAEAN HELLENAE
HISPOLITIWSBLOVNI

OLINI AVARIS AVARIS AVARIS AVARIS
CRAVAT CRAVAT CRAVAT CRAVAT
PRESDE PRESDE PRESDE PRESDE
MRO MRO MRO MRO MRO MRO MRO
DPS DPS DPS DPS DPS DPS DPS

DN IOANNES LINCERIO
MEDICINE DOCTORE ETZDICHAE PROFESSORE

TAFFCO QVADRARI

DONINO TAFRIGO TAFRIGO TAFRIGO TAFRIGO

FARNETUS FARNETUS FARNETUS FARNETUS

PROGRADA DOCTORIS

PROGRADA DOCTORIS PROGRADA DOCTORIS



PROOEMIVM.



Vantum cōmodi atque utilitatis Medicus, qui medicinam non minus feliciter, quam rationali modo facere animum induxerit, ex vera admirabilis fabricæ, qua humanum corpus præ ceteris animantium est exornatum, notitia capiat, nihil fere attinet hoc loco compluribus argumentis, usquequaque multa sedulitate conquitis, dare comprobatum, cum non facile sit, hoc dubitaturius, nisi forte rei medicæ qui est plane imperitus. Quantum enim abest, ut nauta seu gubernator in quodam mari, latitantibus scopulis syrribusque infesto, tempestatibus præsertim adversis obortis, navigans, sine bolidis & nauticæ pyxidis adjumento, navis suæ cursum ita moderari & gubernare valeat, quin ad scopulosas rupes, sub aquis occultatas, identidem allisa tandem naufragium faciat; iisdem vero instructus, multo minori periculo & jaētūræ metu, ejusmodi scopulosa & naufraga pelagi loca prætervectus in tutum p̄venturus sit: tantum quoque abest, ut Medicus

dicus, in vastissimo medicinæ oceano velut iter faciens, opinionum atque errorum scopulos, in ea satis frequenter aliquando obvios, sine exactiore anatomæ cognitione & subfido sit evitaturus, ut potius, hac omnino ignorata, aut certe non satis percepta, utpote recti itineris, quo ipsi pergendum, indice, facile in errorum vortices sit ruiturus. Quomodo enim, quæſo, quis functiones seu actiones partium humani corporis, quæ ipsarum structuræ convenienter, secundum naturam, peraguntur & administrantur, recte cognoscere atque adeo intelligere valebit, si earum fabricam non pro eo, ut decet, habeat cognitam & perspectam? aut qua ratione veram morborum sedem, quam alius alia in parte corporis sibi subinde figere solet, dijudicare atque invenire poterit, nisi anatomæ doctus verum partium situm & connexionem, qua inter se aptæ colligataeque sunt, accurate spectata habuerit atque explorata. Quid? quod qui fieri posset, ut aliquis varia ista symptomata, quæ præſenti cuidam morbo haud insolenter & raro uſu veniunt, quæque in partibus corporis, quæ longe a ſe invicem absunt distantque, ſævitiam ſuam interdum exercere animadvertuntur, comprehensibili modo explicare valeat, niſi anatomæ beneficio compertrum habeat, quo admirabili artificio pars alia ex alia foret nexa? Quanquam vero ita anatomæ studio iuſtum & commodum jam ſtatueri ſuum pretium nullus dubitavi, mihi tamen temperare nequeo, quo minus, oblatâ hac facultate, aperte atque ingenuè confitear, tantum abeffe, ut totius rei medicæ cardinem in ſola anatomica arte verti, ut pluribus persuasum effe ſolet, exiſtimem; ut potius præ me feram, vix ullum Meden-
tiū

tium quicquam , aliorum exspectatione dignum , in sua arte effecturum esse , quantumvis minutissima quæque anatomica pulcherrime calleat , nisi veram motuum animalium œconomiam ~~anatomiam~~ habeat perspectam ; quos motus qui soli partium corporis fabricæ vindicare sustineret , is vero haud obscure proditus esset , nondum sibi liquere , quæ sit vera motuum natura atque indoles ? Namque hi cum certo tempore , compositissimo ordine , proportionato gradu , constanti successu & certo denique consilio seu fine , partium fabricæ convenienter suscipiantur , augeantur & , prout neceſſe viſum fuerit , temperentur ; næ illi vehementer a vero aberrare mihi videntur , qui rationes harum affectionum , quas in motibus humani corporis deprehendimus , structuræ afferere non erubescunt : cum tamen ea omnia ex partium corporis mechanica structura nihil omnino explicari possint . Quo nomine liquido apparebit , inesse utique corpori animali aliquid altius , cui tales motuum affectiones potissimum acceptæ sint referendæ , quemadmodum id quoque a compluribus immortalis gloria dignis Viris jam pridem usque adeo solide fuit demonstratum , ut actum aeternus mihi videar , heic repetiturus , quæ in eorum monumentis fusius tradita legi possint . Verum enim vero cum ipsa medica doctrina utique ex anatomes cultura tot tamque laetos percipiat fructus , neminem mihi vitio temere versurum esse censeo , me , specimen quoddam inaugurale daturum meique periculum facturum , id maxime argumenti hac dissertatione mihi sumfisse curatus excutiendum , quod nonnulla , singulari quædam attentione digna , in bilis folliculo obvia , nec

A 3

mul-

multis Anatomicorum observata, sicut contemplanda.
Ne cui vero in suspicionem veniat, memet mihi, vix
dum primis tirocinii medicis rudimentis depositis, ina-
nem scientiae persuasionem induisse, haecque eo ani-
mo excudenda suscepisse, ut forte aliquid esse videar;
non inficias eo, quae hisce, quicquid literarum est,
memoriae prodita leguntur, ea, maximam partem, in-
comparabili CASSEBOHMIO, Viro de re anatomica
optime promerito, quem, eheu! præmatura mors ma-
gnio rei medicæ detrimento rebus humanis eripuit, ac-
cepta esse ferenda, quippe quo in anatomicis Præce-
ptore uti fortuna mihi permisit. Neque est, ut quis
ea, quæ hac dissertatione de bilis receptaculo præcipua
& singularia prædicantur, levia atque adeo minima &
infra dignitatem Medici habeat, fructu atque usu, qui
inde ad artem salutarem venirent, non continuo ipsi
elucentibus: ego vero ea haudquam puto mini-
ma, sine quibus majora, iis maxime innixa, saepius
constare, vel certe non pro eo, ut debetur, explicari
atque intelligi possunt. Nec arduum foret, pluribus
rerum testimoniis facere testarum, res quasdam, huma-
no in corpore obvias, parvas quidem atque exiles vi-
deri, ideoque persæpe floccipendi, quæ tamen, dum-
modo æqua trutina examinentur atque expendantur,
maximi observantur esse momenti, ad varia phæno-
mena, alioquin valde obscura & abstrusa, dilucidius
expedienda: sed dissertationis magnitudo, cuius ratio
mihi heic habenda, non permittit, ut plura persequar.
Nihil itaque est, quod magis opto, quam ut divini Nu-
minis gratia qualescumque has nostras lucubratiuncu-
las jubeat esse nobis prosperas, ut in proximi commo-
dum & sui ipsius gloriam cedant. §. I.

Quædam hac dissertatione de *Vesicula fellea ejusque*
bile, quæ notatu digna fuere mihi visa, expositu-
rus, non alienum erit cystidis hujus situm & structuram
ante curatius explicata tradere, quam reliquis, inde de-
ducendis me accingam. Quid vero per vesiculam fel-
lis mihi veniat intelligendum, nemini facile, nisi
anatomæ plane inscio, obscurum erit atque in-
cognitum. Constat enim inter omnes, hac voce non
aliam corporis humani partem designari ullam, quam
quæ in concava hepatis superficie, speciatimque in lobo
ipsius dextro sive majori, collocata & variis membra-
nis compositissimo ordine est coagmentata, figuram
pyri referens & secretæ in jecore bili recipiendæ custo-
diendaque destinata. Qua vero gaudeat magnitudi-
ne hoc bilis diverticulum, aut quomodo in collum,
corpus ac fundum distingui soleat, quibusve hepatis
partibus accurate annectatur, aliaque id genus, quæ
huc parum vel nihil conferunt, pluribus hoc loco per-
sequi neque attinet, neque instituti ratio permittit.

§. II.

Quod proinde ad hujus vesiculae *tunicas*, e quibus
 constructa est, attinet, non est unus omnium anatomicae
 artis peritorum de earum *numero* sensus; quidam
 enim binis duntaxat membranis eam perhibent esse
 contextam *a*); alii tres ipsi attribuunt *b*); nonnulli
 iudicemque recentissimi quatuor ei afferunt *c*). Verum
 enim

a) DIEMERBROECK Libr. I. Cap. XIP. *Anatom.* C. H. THOM. BARTHOL.

LINVS Libr. I. Cap. XV. *Anatom.*

b) DAN. TAUVRY Cap. IX. *Nova Anatomi.*

c) HEISTERVS Comp. Anat. §. 217. WINSLOW. Tom. IV. §. 292. seqq.
Anatom. GARENGET Cap. X. §. 32. *Splanchnol.*

8 *Dissertatio inauguralis anatomico-medica*

enim vero cum constituerim, heic de vesiculæ felleæ structura, pro virili tradere ea, quæ meismet oculis ipse usurpavi, haud quaquam vero, quæ ab aliis memoriae mandata sunt, liceat mihi, salva tot tantorumque anatomica de re meritissimorum virorum existimatione, præsenti diatribe in aspectum lucemque proferre, quæ duce & auspice B. CASSEBOMIO, viro arte dissecandi nemini fere secundo, circa fabricam hujus partis animadverti. Assigno igitur cystidi felleæ *ternas*, quibus compaæta est, *tunicas*: quarum *prima* eaque extima jure vocatur *membranacea*, utpote quæ vera est propago & soboles illius involucri, quo hepatis viscus involutum est. Membranaceum hoc jecoris integumentum, quod natales *æuios* dicit suos a sic dicta *lamina interna peritonei*, ut primum in concava hepatis superficie eo loci pertigit, ubi vesicula singulari cui-dam foveæ, in lobo dextro obviæ, inhæret affixa, continuo de substrata jecinoris substantia deflæctens illi duntaxat cystidis superficie obducitur, quæ ab hepatis parenchymate aversa est. Cave igitur existimes, totius vesiculæ ambitum velamento hoc membranaceo circumvestiri: altera enim cystidis facies solummodo, quæ ab hepate aversa est, eo contegitur, opposita superficie, jecori contigua, eodem tegmine omnino carente.

§. III.

Extimæ huic membranæ *substantia* quædam sub-jacet *cellulosa*, quæ aliquibus rei anatomica peritis *se-cunda* censetur membrana, cui tamen WINSLOW tunicæ nomen omnino, nec immerito denegat, quia ne ullam quidem veræ membranæ speciem exhibet, nec instar germanæ tunicæ separari potest. Conflata quip-

quippe hæc est substantia ex innumeris cellulis, vel si mavis, folliculis membranaceis, ita inter se mutuo con-nexis, ut ex cellula alia in aliam pateat flatui immisso aditius expeditissimus. Quapropter neminem id mihi vitio daturum censeo, quod cellulosum hoc textum, a substantia peritonæi cellulosa remotius ortum, pro-pius vero ab illa itidem cellulosa substantia, quæ je-cinoris membranæ substernitur, propagatum, neuti-quam in tunicarum numero a me referatur. In cellulo-so hoc contextu decurrent vasorum rami, qui cysticæ gemellæ anatomicis dicuntur, frequentissimi.

§. IV.

Quæ primæ & extimæ succedit *altera vesicula tu-nica*, a plerisque iisque recentissimis anatomicorum uno veluti ore & consensu *musculosa seu fibrosa* disertis verbis declaratur, quæ ex duplo strato, eleganti ordi-ne sibi mutuo incumbente, construēta esse fertur con-fidentissime. Exterior harum fibrarum ordo stami-nibus muscolosis, secundum cystidis longitudinem excurrentibus, constare scribitur: interior autem ea-rum series transverso itinere incedere traditur, quibus aliij obliquas, nescio quas, adiungere non verentur. At vero fibrae hæc muscularæ, quæ a plurimis rei anato-micæ scriptoribus vesiculæ affinguntur, jam FALLO-PIO & RIOLANO, *Animadv. in Laurent.* fictæ & commentitia visæ atque omnino explosæ fuerunt. Ne-que ab his dissentire videtur DIEMERBROECKIVS, quippe qui ingenue fatetur, fibras has vesiculæ mus-culofas nullo modo demonstrari posse; LAVRENTII tamen causam defensurus, licet fibrae istæ, inquit, ma-nifeste demonstrari nequeant, eas tamen ratione satis

B percí-

10 *Dissertatio inauguralis anatomico-medica*

percipi posse, cum hæc cystis ad sui firmitudinem non minus egeat fibris, quam vena, arteria, vesica urinaria aliaeque plures partes *d*).

§. V.

Verum enim vero cum nobis haudquam integrum sit, in anatomicis commenta, lasciviente ingenio enata, in corpus humanum transferre, siveque hujus partibus inanes species, pro arbitratu nostro, affingere; sed res, in eodem obvias, ita omnium oculis subjecere & ostendere, quemadmodum ipsis a natura insitæ sunt atque innatae: hinc exputare nequeo, quemadmodum DIEMERBROECKIVS, Vir ceteroquin doctissimus & integerrimus, eo temeritatis delabi potuerit, ut musculoſa hæc stamina non sibi unquam infellis receptaculo obvia & conspecta, sed imaginatione duntaxat ficta atque excogitata, obstante licet & reclamante experientia, nihilo secus, solius LAVRENTII studio & amore, felleæ vesiculae vindicare dubitaverit nullus. Quod si enim dicere mihi liceat, qui sit de musculoſa hac vesiculae felleæ tunica sensus meus, non sane vereor, aperte fateri, eam omnino esse imaginariam & folliculo bilis humano falso afflictam. Tanto autem confidentius musculosum hoc integumentum, quod bilis receptaculo assertum in plerisque anatomorum libris legitur, in dubium voco & nego, quanto crebrius contentiusque illud investigare studui; non vero unquam aliquid, nec minimum quidem, quod vel ullam carneæ fibræ speciem præ se ferret, in hac vesicula deprehendi. §. VI.

At enim hominem mei loci & ætatis minime deceret,

d) Libr. Cis. Lot. Cis.

sistens Singularia quædam ad vesiculam. &c. 11

ceret, tot tantisque egregiis Viris, qui huiusmodi carneas fibras, in bilaria vesicula ab ipsis conspectas, uno quasi ore atque animo statuissent, & demonstratas de-sissent, adversum tenere atque obstrepere, adeoque ipsorum sententiam, omnium pâne Medicorum con-fensi approbatam, & veluti civitatis jure donatam, in dubium incertumque vocare. Ita cogitantes mihi-que obinimurantes sic habeant, fibratam hanc mem-branam, neutquam a me de numero tunicarum, quæ bilis folliculum suo complexu coercent & continent, eo suisse electam, ut quædam nova & quasi inaudita di-vulgarem, quo plus, quam ceteri, vidisse viderer; sed quia neque mihi, neque B. CASSEBOHMIO, Viro, dum viveret, in re anatomica & exercitatissimo & soler-tissimo, non unquam tales carneæ fibræ apparue-runt, quantumvis quanta maxima sedulitate peruesti-gatae. Quid? quod candidissimus hic Vir, quoties sibi facultas cadaverum dissecandorum & in Theatro ana-tomico demonstrandorum dabatur, toties jecur cum appensa bilis vesicula Auditorum oculis subiiciens, meminerat & demonstrabat, humanum bilis follicu-lum musculosis staminibus secundum naturam esse prædictum nullis, nec sibi unquam licuisse talia conspi-cere, etiamsi vel optimis conspicillis ea, oblata quavis occasione, curatius solicitusque pluries investigare & perscrutari non destisisset. Hinc se satis mirari non posse, ajebat, quomodo Viri magni nominis ibi carne-as fibras invenire potuissent, ubi naturaliter forent omnino nullæ. Quæ cum ita sint, nemini non satis clara-rum fore ac perspicuum existimo, haud inconsulte & remere musculolum hoc velamentum ex istarum tuni-

12 *Dissertatio inauguralis anatomico-medica*

carum numero, quæ ad fellis vesiculam pertinent, a me esse exemtum ac remotum, præcipue cum jam ab aliis maximi nominis Anatomicis ex tunicarum vesiculæ numero antiquitus fuerit proscriptum.

§. VII.

Tunica ergo hac musculosâ de sua possessione jam dejecta & deturbata, sequitur membrana *nervea* aliquibus e), aliis autem *tendinea* dicta f): quæ excellentissimo HEISTERO est ordine quarta, mihi met vero altera. Hæc, quæ pellucida existit, satis valida & robusta deprehenditur, nec aliquid præter alias nerves pelliculas habet præcipuum; hinc quoque nihil est, quod isti verbosius exponentiae immoremur, præcipue cum, quæ hoc de velamine commemorari forte possent, in libris anatomicis exstant. Pluris refert, ut illam tunicam, quæ nerveo huic tegmini subfstrata, & ordine tertia est, breviter lustremus, utpote quæ villosæ nomine anatomicis venire solet g): quia in interiori sua superficie ingenti villorum tenerimorum & summa exilitatis copia & vi obsita est, qui non sub oculos cadunt, nisi limpida eaquæ tepida iterum ac saepius abluti, tunc conspicillis collufrati facile in conspectum veniunt. Villosum hoc velamentum, quod vesiculæ interiora *ἀπέντος* investit, ea superficie, quæ intus conspicua, innumerabilibus exiguis plicis, vel si magis arriserit, rugis est instruatum, modo *περιστηλλόντος* sese comitantibus, modo sese decussantibus, totidem velut areolas inter se relinquentibus, in quibus innumeræ magnæ exiguitatis glandulae perhiben-

e) HEISTERVS Lib. 2o loc. cit. WINSLOW. loc. cit.

f) GARENGEOT. Libr. cit. §. 32.

g) WINSLOW loc. cit. GARENGEOT loc. cit.

hibentur esse occultatæ. Quæ igitur plicæ, diversissimo & admirabili ordine digestæ, cum retis cuiusdam speciem satis congruenter exhibeant, villosæ etiam huic membranæ, apud nonnullos anatomicos, nomen *reticularis* tunicae induixerunt. Quod vero ad modo dictas attinet glandulas, quæ per commemoratas plicas dispersæ esse tradantur frequentissimæ, præ me ferre dubito nullus, eas in vesiculæ felleæ fundo esse admodum raras vixque spectabiles, præterquam in cervice sive collo folliculi, ubi quædam tuberculæ disseminata videntur, tametsi per quam exigua sint, nec minime tam denso agmine stipata, quam vulgo celebrari solent. Neque hoc dissimulandum est, acinos hosce parvos, qui glandularum nomine cieri solent, intimæ huic folliculi membranæ omnino non esse intextos, quemadmodum communis omnium ferre anatomicorum fert opinio; sed eos potius villosæ huic pelliculæ esse substratos, atque inhærente substantiæ illi cellulofæ, quæ tunicam nerveam inter & villosam deprehenditur intersita. Commemorabile enim est, esse in vesicula bilaria, præter jam supra indicatam cellulofam substantiam, aliud insuper cellulofum textum, cuius interventu villosa vesiculæ membrana nerveæ tunicae annexatur: atque in hujus texti cellulis delitescunt, si verum fateri fas est, istæ glandulæ, quæ emissariis suis tenuissimis villosam pelliculam pertundentes, in folliculi interiora pertingunt, ubi exiguissimis ostiolis dehiscunt.

§. VIII.

Si quis vero hæc dubitaret, quæ de altera ista cellulosa substantia, nerveæ & villosæ tunicis interiacen-

B 3 te,

14 *Dissertatio inauguralis anatomico-medica*

te, & diversa locoque disiuncta ab illa, quam extimæ
five membranosa & secundæ five nerveæ interiectam
esse dixi; is omnem statim abiicit dubitationem hanc-
que secundam cellulosa substantiam de se ipso habe-
bit compertum, dummodo vulnusculum duntaxat tun-
nicæ villosæ in fluxerit tantillum, ut per parvum ipsi in-
sertum tubulum in cellulosa hanc telam flatum adi-
gere valeat, tunc eam inflamat nullo negotio cernere
ei erit integrum. Atque hæc secunda cellulosa est ea,
cui corpuscula ~~o~~φειγοειδεα disperse inseminata esse pau-
lo ante ostendi.

§. IX.

Sepimenti igitur illis fini nostro sufficienter per-
spectis, quibus ~~u~~is ~~u~~is cingitur, expedit quoque illas
breviter percurrere vias, quibus felleus latex ad bila-
riam accedit vesiculam, indeque rursus in duodenii
compluvium emanat. Eas esse *ductum hepaticum &*
cysticum canalem, est hodie adeo notum, quam quod
notissimum. Per illum enim bilis, in jecioris visce-
re a sanguinis confortio segregata, jugi & perenni mo-
tu delabitur ad intellectini duodenii alveum, quo in iti-
nere assiduo pars ipsius quedam discedens per cysti-
cum ductum vesiculae cavum subit; unde rursus ef-
fluens, itidem ductui choledoco communi infundi-
tur, hacque via in duodenii interiora effluit. Bilario-
rum quoque horum ductuum structuram nihil omni-
no abludere a fabrica vesiculae, nec peculiare quid ha-
bere, est pariter res multorum anatomicorum mo-
nimentis testatissima. Ne igitur actum agerem ni-
miumque longus essem in iis explanandis, quæ in cun-
ctis fere de re anatomica divulgatis libris obvia & ad
facietatem leguntur explicata: tantummodo mihi li-
ceat

ceat heic sumere ea paucis expedienda, quae præ certe-
ris sibi aliquid præcipuum vindicant, in quorum cen-
sum *ductus* ita vocatus *cysticus* cum annexo ipsi *vesicu-*
la *collo* omnium præcipue esse videtur referendus.

§. X.

Veram & germanam huius *ductus*, qui folliculo-
appensus est, figuram & directionem, veteribus mi-
nus cognitam, & compluribus recentiorum negle-
ctam, excellentissimo HEISTERO deberi, quippe qui
omnium, nisi me fefellerit, primus ostendit, canalem-
istum haudquam recto, sed admirabiliter *tortuoso*
itinere, *spira* in modum contortum incedere, nemini-
nem, nisi rei literariae expertem, facile fugiet. Nam-
que *anatomia* compertum est anatomica, eum elegan-
tes ducere gyros in toto illo itinere, quod conficit,
dum a folliculi corpore discedens, choledocho *ductui*
committitur. Tortuosus quippe hic *tractus*, quo cy-
sticus poro hepatico advolvitur, non per extimam si-
ve membranaceam tunicam & illam cellulosam, quæ
huic subiecta est, telam solum translucet; sed longe
clarius etiam conspicitur, jam commemoratis integru-
mentis, quam maxima circumspectione ab isto *ductu*
ablatis: tunc enim multo luculentius spectatur, eum
tortili *tractu*, in modum funis contorti, ad *ductum*
choledochum communem deferri. Quid? quod liqui-
do etiam apparebit, vesiculæ hoc emissarium ibi, ubi
cum poro hepatico conjunctum, in ita nominatum
choledochum communem definir, dicto *ductui* hepatico
se non solum modo adjungere; sed per aliquod
spatium, haud sane ita exiguum, comitem hærere &
παραληπτὸς decurrere, tandemque in sic appellatum
ductum

16 *Dissertatio inauguralis anatomico-medica*

ductum choledochum terminari. Quo eo ipso illorum opinio, quæ plurimorum tam veterum, quam etiam recentiorum, (si a WINSLOVIO & quibusdam aliis rei anatomicæ scriptoribus discesserim,) animis etiamnum penitus infidet, refellitur, qui in ea sunt sententia, cysticum ductum ab hepatico esse multo interculo disiectum, ipsa observatione atque ~~autro~~ reclamante, qua exploratissimum est, vix quicquam spatii inter hos binos ductus esse interiectum; sed potius cysticum meatum, lateri ductus hepatici adjunctum, nulla intercedente inter utrosque distantia, progressi inque choledochum abire. A veritate idcirco alienum est, utrosque hos canales, in choledoco communis ductu coeuntes, angulum quendam acutum inter se relinquere.

§. XI.

Quod vero ad interiora cystici meatus attinet, in eorum sententiam discedere nequeo, contendentium, cysticum meatum naturaliter intus mirabilibus valvulis, itidem spiræ modo collocatis, esse adornatum. At vero pace & venia tantorum doctissimorum viorum, quos omni semper reverentia colo & observo, mihi liceat ab illis dissentire atque ea hoc loco afferre, quæ egomet, præeunte B. CASSEBOHMIO, in hujus canalis penetrabilibus oculis meis usurpavi. Temperare mihi non possum, quin profitear & præmeferam, non valvulas illas, multo minus tales, quæ tortili quodam ductu sive circumflexu in hoc canali forent dispositæ, a memet fuisse deprehensas, nec memini eas unquam a solertissimo CASSEBOHMIO animadversas, quemadmodum qualibet publica folliculi

culi fellei anatome sancte asseverabat. Quamquam autem cystico ductui valvulas in universum abjudicavi, ideoque & eas, quæ spirales esse creduntur: haud ramen abnuo, plicas quasdam, vel si mavis, rugas in cystico hoc emissario utique esse obvias, quæ modo frequentiores, modo rariores offenduntur. Cave autem, ne has valvulas putes, cum nihil similitudinis habeant cum ejusmodi membranulis pendulis, quas valvulas usurpare & appellare solemus; neque existimes, eas eandem spiræ speciem induere, quam cystico ductui esse disertis verbis ostendimus: *αὐτοψίας* enim docet, huiusmodi plicas transversum situm solummodo obtinuisse.

§. XII.

Quem istæ plicæ utilitatis fructum præbeant, si quis quærat? nullius fere negotii erit, eum definire. Quod si enim perpendamus, bilarium vesiculam alias bile esse plenam atque adeo velut inundatam; alias vero mediocri huius copia repletam, aut propemodum aliquando exhaustam: facile liquebit, felleum folliculum non eiusdem semper esse futurum capacitatis seu amplitudinis; sed, prout magis minusve comprimitur a circumjectis partibus, maiorem quoque aut minorem fellei laticis copiam in se reconditurum. Jam vero experientiæ testimonio compertum est, cystidem dilatari distendique, si ingenti bilis quantitate obruitur, sicque plus deorsum premi, ita ut subinde fundo suo valdopere emineat & anteriorem hepatis marginem excedat: imminui vero suaque ipsius elatica vi coarctari, tanta biliosi humoris affluentia exoneratam. Hinc ergo erit perspicuum, quam ob rem

C

cysticus

18 *Dissertatio inauguralis anatomico-medica*

cysticus canalis ejusmodi plicis sit instructus, quo nimurum vesicula, pro exigente necessitate, facilius prælongari sive expandi, rursumque corrugari vel coangustari possit. Unde etiam verisimile videtur, istas plicas, folliculo expanso, evanescere: hoc autem colapso, denuo resurgere. Quæ enim est ratio rugarum seu plicarum ventriculi & intestinorum, eadem quoque est harum, in cystico ductu obviarum. Neque arduum foret dilucide expedire, vix ullum commemorabilem talium valvularum spiralium, etiam si reapse in cystico emissario exstantem, usum esse futurum, nisi dissertationis ratio mihi foret habenda, quippe quæ hoc pacto longior esset futura, quam egomet mihi proposui.

§. XIII.

Operæ pretium quoque erit illud compluvium, in quod bils tam hepatica, quam cystica corrivatur, ante, quam in duodeni alveum se evolvit, quodque ductus choledochi communis nomine in Medicorum scholis venire afolet, leviter transire & tantummodo perstringere, quo clarius inde intelligatur, quam ob causam generi humano a natura eiusmodi peculiariis vesicula concessa fuerit atque attributa. Canalis hic, qui choledochus audit isque communis, ibi oritur, ubi hepaticus & cysticus ductus inter se ita coalescunt atque in unum coeunt, ut utrique, antea sibi adiacentes, & interuentu substantiae cuiusdam cellulosæ inter se coherentes, jam in unum eumque multo conspectiorem, desinut meatum, qui choledochus communis dicitur, & ad intestinum, quod duodenum cluet, obliquo itinere decurrit, quo deductus

&

& sub duodeno progressus primæ huius flexuræ, quæ a pyloro ventriculi prope abest, inseritur. Verum enim vero si quid est, quod considerari dignum viderit: certe est singulare illud iter, quo choledochus canalis, intra duodenii tunicas descendens, in huius penetrat interiora. Quamprimum enim extimam sive membranaceam duodenii tunicam subiit, neutquam continuo subiectam quoque musculararem perforat; sed intramodo nominatas tunicas procedit, & spatio quodam, circiter digitum longo emenso, musculararem demum tunicam reliquasque pervadit, sicque in intestini cavum suo orificio dehiscit: eodem modo, atque in vesica urinaria observatur de vreteribus, ut pote qui, similiter huic choledoco ductui, longitudine digiti, intra vesicæ urinariæ membranas repunt prius, quam in ipsius cavo patescunt. Hinc jam clare dilucebit, ductum cysticum minime via sola obliqua duodenum intrare; sed omnino, perforata extima intestini membrana, intra hanc & musculosam tunicam, in sic vocata cellulosa intestini substantia deferri, antequam, perfoffis ceteris ejus tunicis, exitum sibi in duodenii compluvium faciat.

§. XIV.

Quid? quod neque hæc tacitus præterire possum, quod communi huic utriusque bilis emissario, choledochi nomine venienti, prius jungatur alias canalis, a pancreate profectus, quam in duodenum exit. Verum notatu dignum est, VIRSVNGIANVM illum ductum insolenter ac raro canali choledoco committi extra duodenum; sed usitatius & frequentius conjugium pancreatici canalis cum choledoco meatu ini-

ri sub extima duodenī membrana, ubi canalis hic in
celluloſo intestini textō latitans dērept, excellentiſſi-
mo CASSEBOHMIO id plerumque ita deprehenden-
te. Ex quo proinde ſatis liquebit, quam graviter illi
offendant, affirmantes, utrosque hosce dūctus uno
eodemque orificio, utriusque communī, in duodeno
patere, experientia contrarium arguente: hac enim
cuique erit ſpectatiffimum, pancreatici canalis oſtium,
in dūctum choledochum ſe aperiens, lineas circiter
duas tresve mathematicas diſtare ab apertura choledo-
chi meatus, ita ut hæc ſola in duodeno compareat.
Præterea obſervatione dignum eft, pancreaticis emiſſa-
rīum, dum choledocho inſitum inoleſcit, membranā
ſua, in choledochi cavum promimula, valvulae ſpeciem
induere, ad aperturam pancreatici meatus occiden-
dam aptiſſimā, quaē impedit, quo minus bilis, ſive ex
jecore, ſive veficula, per choledochum alveum deflu-
ens, & pancreatici oſtium præterlabens, hoc ſubire,
ſicque pancreaticæ lymphæ efluxuræ moram injicere
valeat.

§. XV.

Posteaquam ex hac tenus expositis pernotuit, quo-
modo choledochus communis dūctus duodenum in-
tret, intra ejus tunicas procedat, & denique, pertusis
interioribus pelliculis, in ejusdem cavitatem pateat,
non difficile quoque erit dijudicare, quid utilitatis at-
que uſus felleus folliculus hepati afferat? Quod si enim
expenditur, bilem, in jecoris parenchymate a ſanguine
venae portarum jugiter & affiduo ſecretam, ſic vocatis
bilariis poris infundi, ex quibus perenni flumine in dū-
ctum hepaticum, inde vero in choledochum commu-
nem emanat, ut in duodenum effundatur; manifesto
appa-

apparebit, bilioſo huic latici, ad duodenum affluxuro atque illapsiō, eo tempore, quo intestinum hoc, peristaltico motu affectum & constrictum est, nullam viam aditumque ad ipsius interiora patere; hinc tamdiu bili esse ſubſtendum in choledochō meatu, donec relaxato intestino ſicque recluso choledochī oſtio, per portam ita datam eo delabi poſſet. Quoties proinde duodenum peristalticum ſuſtinet motum, toties biliosi humoris progressui atque egressui in intestina moram atque impedimentum injici; ergo etiam illi bili, quæ a tergo per hepaticum & ceteros bilarios poros jugi fluore ſuccedit; id quod profecto neceſſariæ cinq̄e continuæ in iecinoris viscere ſecretioni permagno futurum eſſet impedimento & detrimento. Ne igitur felleus latex, in ſuo itinere per hepaticum & choledochum du-
etum, utcunque retardetur & præpediatur; huic ſum-
mus rerum arbiter hisce duobus ejusmodi folliculum
adſtruxit, quo bilis diſcedere & divertere potheſt eo tem-
poris momento, quo duodenum peristaltico motu co-
arctatur. Ex quo ſimil etiam hanc obscure patescit,
FALLOPIVM non ita a vero aberraffe, afferentem, ve-
ſiculam eſſe diverticulum quoddam, quo bilis cederet,
in contractum duodenum effluere impedita b). Quæ
cum ita ſint, nullus dubito plane & aperte contendere,
non eſſe ullum alium bilarii folliculi humano in corpo-
re uſum ac munus, præterquam quod bilis partem re-
cipiat, duodeno in peristalticum motum agitato.

§. XVI.

At vero cum non animum induxerim omnia, quæ
defellis receptaculo vafisque dici poſſunt, fufe lateque-

enar-

b) *Observat. Anatom.* pag. 284. &c. ſeqq.

enarrare, sed ea duntaxat, quæ mihi præ ceteris digna
visa fuerunt, quæ calculo candidissimo notarentur, re-
liqua minutiora consequētari data opera supersedeo, ne
extra hos cancellos egrediar, quos hac dissertatione
mihi ipsemē circumdedi, transitus ad ista, quæ su-
perfunt dilucidius expedienda. Facile enim prævi-
deo, occurri hic a quibusdam posse, ita mihi objicien-
tibus, si tunicam muscularē biliarē admirerem ves-
culæ, necessaria etiam sequela huic omnem se contra-
hendi bilemque expellendi vim & potentiam omnino
tolli atque auferri, quam tamen excellentissimus
BOERHAVIVS i) TAVRY k), aliquie disertissime
planiſſimeque ipsi aſſerunt. At vero si fellea vesicu-
la, præter vim illam elasticam, quæ ipsi cum omnibus
aliis tunicis membranaceis & nerveis communis est,
singulari quodam motu musculari uteretur, quānam
tanta necessitas eosdem hos egregios viros premeret,
ut ad vesiculæ exinanitionem explicandam ventriculi,
cibis referti & tumentis, auxilium implorarent, utpote
qui, ingestis onustus & distentus, vesiculam externo
pressu coarctare atque exhaustire confidentissime tra-
ditur. Nonne igitur eo ipso velut taciti atque inviti
ita præ se ferunt, muscularē hunc vesiculæ motum
ipsiſ esse valde ſuſpectum & ambiguum, atque adeo
ipſam musculosam tunicam videri imaginariam?

§. XVII.

Prius itaque quam explicatum tradam, qua ra-
tione fellea cystis bilioso ſuo liquamine exoneretur,
operæ pretium facturus mihi videor, ſi animo perlu-
ſtrem

i) Institut. Medic. §. 98. & Praelect. Academ. in eund. §.

k) Libr. cit. cap. cit. p. m. 155.

strem attentiori, quid argumenti habeat modo com-
memorata hypothesis, compluribus Physiologorum
recepta & solennis, qua ventriculo, ciborum pleno,
ideoque intumescenti siveque ad usque vesiculam fel-
leam pertingenti, iniungunt munus huius compri-
menda hocque pacto bilis in coledochum canalem ex-
pellendae. Verum enim vero hypothesis hanc mul-
tis iisque magnis difficultatibus esse obstructam, ideo-
que rationes gravissimas esse, quæ mihi obstant, quo
minus ei meum adiiciam calculum, id fere nullo ne-
gotio apparebit evidentissime sequentia æqua animi
lance pensitatu: primum quod ventriculus, quan-
tumvis cibis ad satietatem impletus & longe lateque
expansus, nunquam tamen extremitate sua dextra,
secundum naturam, ad vesiculam felleam pertinge-
re eamque comprimere valeat, licer hæc sententia, a
GLISSONIO primum adoptata, deinceps vero com-
pluribus recentiorum etiamnum recepta fuerit acriterque defensa. Sed fortasse dixerit quispiam, si sto-
machus, omni cibo vacuus, follis cuiusdam ope eo
usque inflatur, ut in omnes dimensiones distentus
fuerit, tum utique oculis clare spectari, dispansum
ita stomachum felleam subinde contingere vesiculam.
At vero quis non est, qui facile perspiciat, ventriculi
tunicis, eo pacto diductis, vim inferri maximam, nec
fieri posse naturaliter, ut ille, salva sanitate & sine ru-
ptionis, vel certe paralyseos metu, unquam ab inge-
stis usque adeo dilateretur. Quo nomine exputare ne-
queo, quo jure aliquis a violentissima hac ac præter-
naturali ventriculi inflatione & distensione, ad medio-
crem istam eiusdem & naturalem sufflationem, quæ
in

24 *Dissertatio inauguralis anatomico-medica*

in sanitate fit, concludere sustineat, nisi forte a Logica doctrina parum fuerit instructus.

§. XVIII.

Tum si verum esset, stomachum, epulis expletum & saturatum, semper folliculum comprimendo urgere atque exinanire, quidne damni malique, eheu! venæ portæ usū venire, quoties cibum caperemus, necesse foret? Etenim res est confessa & anatomicorum oculis abunde restata, venam portarum proprius a dextra ventriculi parte abesse, quam cystidem felleam, quippe quæ longius ab eadem stomachi parte distat: Vena enim portæ sita est magis sinistrorsum, cum vesicula dexteriorem hepatis partem occupet atque intestino colo incumbat. Quod si proinde ventriculus, alimentis turgidus, vesiculæ accumberet & premendo vim inferret; tanto magis venam portarum comprimendo vexaturus esset, quanto proprius ventriculum hæc conspicitur collocata esse. At perpende, quæso, quantumne detrimenti inde sanguini venæ portæ venturum esset? Omnium præcipue hæc perspexisse videtur excellentissimus HALLERVS, quippe qui aperte atque ingenuè confitetur, esse evidenterissimum, vesiculam a ventriculo, tempore concoctionis tumentem, emulgerinon posse 7).

§. XIX.

Deinde si ventriculus bilem excuteret vesiculæ intinendo atque ita injuriam velut afferendo, quemadmodum huius hypotheseos Patronis dicirur, inde necessario effici deberet, in omnibus animalibus, inediā, quaunque causa, diu perpeſſis, aut fame confectis, felleam vesiculæ

7) *Comment. in Praelect. Acad. BOERHAV. §. XCIIIX. Not. 4.*

vesiculam bilis abundantia semper esse debere instru-
ctissimam refertissimamque: quia expellens causa,
quæ ventriculus, alimentorum copia obrutus & quo-
quaversus distentus esse statuitur, in huiusmodi ani-
mantibus deficit, experientia tamen persæpe contra-
rium ostendente. Celeberrimus enim MORGAGNI
in animalibus, fame enectis, folliculum mediocri bilis
copia plenum; intestina vero bile eo diffusa impensissi-
me tincta observavit ^{m)}, cui alter testis succedit lauda-
tissimus HALLERVS, quippe qui itidem in homi-
ne, qui fame periisse narrabatur, vesiculam depre-
hendit exhaustam, intestinis effusa bile scatentibus ⁿ⁾.
Nec arduum foret, idem compluribus aliis exemplis
confirmatum dare, si plura observatorum dicta aut
exempla hoc loco coacervare mihi constituissem.

§. XX.

Postremo placuit adhuc allatis hactenus rationi-
bus, per se satis valentibus, ad illud dogma receptum
amoliendum & convellendum, quo ventriculus, in-
gestis effertus atque expansus, vesiculam vacueface-
re perhibetur, subiecte aliud quoddam argumentum,
ex ipsa hac hypothesi depromptum, quod lucu-
lentissime demonstrat, etiam si cystica bilis per tumen-
tem ventriculum expellatur, vix tamen quicquam
utilitatis ad χυλοποήσεως negotium indidem esse re-
dundaturum. Persuasum enim est huius hypothe-
ses defensoribus, tantam esse bilis cysticæ, ad crudi-
dum chylum in duodeno ulterius elaborandum &

D

perficien-

^{m)} *Advers. Anat.* III. p. 55.

ⁿ⁾ *Libr. &c. loc. cit., not. 2.*

26 *Dissertatio inauguralis anatomico-medica*

perficiendum, necessitatem, ut, ea chylo non sufficienter admixta, aut prorsus deficiente, chylosus latex iis dotibus non sit fruiturus, quae laudabili chylo alias convenienter. Verum fac esse omnia, bilem nimurum cysticam, ventriculo cibis repleto & turgentem expressam, in duodenum deturbari; quem, quæfo, fructum putes chylificationis negotium inde esse percepturum? Quamprimum enim stomachus cibis oneratus fuerit, hocque pacto in molem extensus maiorem, continuo felleam vesiculam premendo atque urgendo exonerabit sua bile, quæ ita in duodenum effluens, nihil chylosi ibi reperiet, alimentis, quæ ventriculo coercentur, nondum digeri inque chylum mutari coeptis: hinc bilis hæc, concoctione commodum incipiente, in intestinorum sentinam exturbata, in interiores ipsorum recessus dilapsura est multo prius citiusque, quam aliquid chylosi in ventriculo elaboratum fuerit. Quodsi ita denique alimenta, ventriculi beneficio in chylum mutata, in duodenum defluxerint, bilario folliculo, iam multo tempore præterlapsò exhausto, non supereriset, quod chylo, in duodi compluvium pedentem excusso iamque commoranti, affundere valeret. Ergo chylus, deficiente vesicularia bile, ex ipsa hac hypothesi, crudam suam indolem retenturus esset. Quid proinde clarius, quid potest esse illustrius, quam quod a tali præmatura & veluti festinata bilis cysticæ expulsione, stomacho extumescente facta, si quid aliter in ipsa re argumenti esset, nihil commodi aut emolumenti in chylificationis negotium profici sci possit. Ecce heic tibi potissima momenta, quam ob causam eorum sententiae non

non subscribam, qui felleam vesiculam a ventriculo,
cibus pleno & distento, exurgeri sibi persuadent.

§. XXI.

Jam igitur iis stabilitis & fixis, fellis videlicet vesiculam propria tunica musculosa carere, ideoque & motus muscularis omnino expertem esse; deinde neque eam a ventriculo, cibus conclusis extenso, comprimendo exantlari posse: mei erit officii hoc loco dilucidius magisque perspicue expedire, quibus ergo adminiculis hic folliculus exhauriatur, & quo potissimum tempore id contingat? Quod ad prius attinet, non sane ulla erit difficultas hoc cognoscendi perpen-
furo sedem, quam bilis habet folliculus. Cum enim in concava lobi maioris sive dextri superficie jecinoris sit collocatus; hoc autem viscus sub fornice dia-
phragmatis pendulum hæreat, ita ut superne & in postica parte *αὐτῶς*, partim septo transverso integra-
tur, partim vero costis spuriis & musculis abdominis innitatur, inferne vero intestinis & dextræ ventriculi extremitati incumbat; facile ex hoc hepatis situ in-
telligi poterit, eas partes, quibus omnium maxime
hoc munus vesiculam sua bile exonerandi referri de-
bet acceptum, septum esse transversum & abdominis
musculos, quippe quæ, omni respirationis momento,
interceptum jecoris viscus alternis vicibus agitant, &
modo deorsum & antrorsum, modo autem sursum
& retrorsum cedere cogunt. Quod si igitur cystis
fellea vel mediocri duntaxat bilis copia fuerit repleta:
nihil profecto est dubii, quin a circumiectis hisce
partibus alternatim compressa sive coarctata, illi-

28 *Dissertatio inauguralis anatomico-medica*

co suam bilem per cysticum & choledochum canales in duodeni compluvium sit effusura, nihil in his canalibus obstante, quod ipsius itineri ad duodenum impedimento esse potest. Neque a nobis saepius laudatus HALLERVS dissentit, ut qui tam præclare, quam docte ostendit, abdominis musculos & dia-phragma in folliculi bile exprimenda omnium primas agere o). Nec illi ab ludere videtur WINSLO-VIVS, quippe qui satis perspicue tradit, usque adeo facilem bili e folliculo ad choledochum patere adi-tum, ut vesicula, certis quibusdam corporis gestibus sive statibus vel leviter tantum compressa, redundet, quid? quod eo nomine cervici seu collo vermiculæ, in cysticum ductum desinenti, tam spectabilem cur-vaturam sive flexuram a natura existimat esse tributam, ut ista impediret forsitan, quo minus biliosus latex qualicunque corporis inclinatione vel inflexio-ne, quantumvis leviori, temere exundaret p): argu-mento vix ullo testiori, vesiculam ad sui evacua-tionem nec tunicae cuiusdam musculosæ auxilio, nec ventriculi tumentis adjumento indigere, sed diætarum solummodo partium circumpositorum beneficio bi-lis onere satis levari & liberari posse.

S. XXII.

Quid ergo iam negotii erit tempus illud definiri, quo bilis cystica in duodeni alveum illabatur, quippe quod ex iis, quæ modo prædicavi, satis clare liquet? Qui cysticae bilis tantam ad chylum opti-

mæ

o) Libr. 6^o lot. cit. not. c.

p) Libr. 6^o Tom. cit. S. 298.

mæ notæ conficiendum necessitatem esse ferunt, ut, ea insufficiente copia, nec iusto tempore chylo in intestinis admixta, negent, ipsum unquam eadates consequeturum esse, quibus oportuit esse adornatum, illi contendunt, vesiculæ bilem non, nisi concoctionis tempore, vesicula, a ventriculi distenti mole & onere degravata sicque coangustata, in intestinorum canalem emoveri. Verum enim vero æqua animi lance ponderaturus & aestimaturus, quæ hucusque plenius planiusque de situ cystidis exposita sunt, facile videbit, receptam plerisque Physiologis hanc opinionem, nihil argumenti habere, quemadmodum & rerum & multorum Doctissimorum testi moniis id dedi comprobatum. Ne igitur in aliorum opinionibus refutandis multus sim, ea, quæ in hanc rem dici possunt, compendii facturus affirmo; cum, vulgari observatione loquente, diaphragma, singulis inspirationibus, deorsum cedat sicque hepatis molem similiter antrorum & deorsum premat: musculi vero abdominis, exspirationis tempore, eandem retroagant sursumque pellant; liquido apparebit, quovis respirationis momento, vesiculam, quasi prelo interceptam, similiter comprimi & coarctari, idque eo validius remissiusve, quo fortior aut languidior erit respiratio. Quod si igitur folliculus bile utcunque fuerit, vel mediocriter tantum, impletus, nihil quoque dubitationis est, quin, singulis iactibus, quos a vicinis partibus, iam nominatis, excipit & sustinet, in arctius spatium coactus, aliiquid biliosi liquidus sit excessurus. Quo nomine frustra sunt, qui vesicariae bili certum & statutum tempus constitue-

30 *Dissertatio inauguralis anatomico-medica*

re non verentur, quo vesicula sua exire perhibent. Ex facili etiam foret gravissimis documentis testatum facere, tantum abesse, ut bilis cum chylo in duodeno permixta, ipsum omnibus numeris perfectum expletumque reddat, ut ei potius noxae futura esse videatur: non enim ullum alium bilis chylo praestat usum, si vere mihi dicere liceat, quam ut in intestinorum recessus delata interiores, glutinosam illam pituitam, intestinorum parietibus adhaescentem, attenuando abstergat, vasorum lacteorum orificia referet, motum peristalticum stimulando augeat, siccum & chyli secretionem & fœcum alvinarum excretionem promoveat, quemadmodum id Dn. PRÆSES, Praeceptor ac Patronus, omni pietate ætatem mihi venerandus, non minus eximie, quam docte & solide demonstravit q).

§. XXIII.

Tandem quoque conveniet breviter expendere, an vero cystica bilis usque adeo diffideat a felle hepatico, ut plurimis rei medicæ scriptoribus persuasum est, nec ne? noto enim notius est, Physiologorum non eandem esse omnium sententiam de utriusque bilis huius indole & natura. Alii quippe asserunt, bilem, quæ in folliculo recondita est, admodum differre ab ea, quæ ex hepate jugi flumine per hepaticum canalem ad duodenum affluit & illabitur: alii contra, nihil discriminis huic cum illa intercedere perhibent. Cuius differentiae, occasionem

q) *Conspicit. Physiolog. Tab. XIX.*

casionem primus subministrasse videtur JASOLI-
NVS, teste HALLERO ^{r)}, quem deinceps
PECHLINVS, BOHNIVS inque primis MAL-
PIGHIVS cum innumeris aliis sunt consecuti, plu-
rimum utique, ajentes, diversitatis utramque inter-
bilem deprehendi; cysticam enim magis flavam at-
que adeo obscure viridem, crassiorem & multo a-
criorem esse, altera bile, quæ ex jecinore perenni
fluore ad duodenum delabitur. In censum vero il-
lorum, qui cysticam bilem ab hepatica nihil omni-
no esse diversam affirmare sustinent, omnium præ-
cipue venit referendus celeberrimus RVYSCHIVS,
quippe qui dissertissime planissimeque ostendit, fibi
nihil discriminis unquam fuisse observatum ^{s).} Ve-
rum enim vero etiam si suscipiamus, utique aliquam
subinde diversitatem inveniri inter cysticam & he-
paticam bilem, eam tamen perpetuam esse, & ita
magnum, ut vulgo celebrari solet, non facile cre-
diderim, cum cystica bili omnia ea, quibus hepa-
tica subinde antecellit, solummodo usu veniant, prout
brevius diutiusve in folliculo suo fuerit commorata.
Quia propter haud abnuero, candidissimi RVY-
SCHII de bile assertiōnē omnium maxime mihi
probabilem videri, utpote obseruationi crebrius re-
spondentem. Verum cum brevitati studere statue-
rim, cetera, quæ in hanc rem dici possent, quæ
pæne innumerabilia sint, conjectari desisto, B. L.
ea,


^{r)} Libr. &c loc. cit. Not. II.

^{s)} Obseru. Anat. Chirurg. XXXI.

32 *Dissertatio inauguralis anatomico-medica &c.*

ea, qua decet, humanitate rogans; ut levidense
hoc, quicquid est opellæ, æqui bonique faciat, me-
met vero ipsum sibi habebat commendatissi-
mum.

T A N T U M.



VIRO NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO
IOANNI DAVIDI LORENTZ
MVLTAM PRECATVR FELICITATEM
IOANNES IVNCKERVS.

Postquam TRIMALCHIO quidam apud PETRONIVM convivaram sermones, qui ad salivam erant, cooperat invitare, ipse tandem, inter varia de variis rebus, in primis etiam de litteris, instituta colloquia, hanc posuit quæstionem: „quod, inquit, putamus secundum literas difficultimum esse artificium? „Ego, responder, puto medicum & nummularium. Medicus, quæ scit, quid homunciones intra præcordia sua habeant, & quando febris veniat. Etiamsi illos odi pessime, qui mibi iubent sepe „anatinam parari. Nummularius, qui per argentum aës videt. Mislo iam nummulario, quia in rem nostram non est, paucis occasione horum verborum dicam de medico, quod sentio, & deinde ad TE, CANDIDATE NOBILISSIME, & me iterum convertam. Ad medicum igitur quod attinet, omnino, quid homunciones intra præcordia sua habent, scire debet, idque non solum ratione physiologiae, ad quam etiam pertinet anatomia, sed etiam ratione pathologiae, ut possit perspicere, cur morbus, cur febris oriatur, & quando id fieri soleat. Magna quidem hæc sunt, laboriosa ac difficilia, fateor; verum etiam tanto præclariora summoque cum fructu coniuncta. Multum vero hic valet industria, quippe quæ vel difficillima reddit facillima. Dignas igitur sua laude partes suscipiunt illi medicinæ tirones ac sustinent, qui ingenium, quod natura tribuit, in tempore rebus anatomicis rite excolunt, & multo studio atque assida industria omnia interiora rimantur, ut sciant, quid homines intra præcordia sua habeant; cum primis quia non desunt, qui medicinæ tironibus ad hominis penetralia ituris viam faciunt,

E

unt,

unt. Velint enim, nolint necesse est, ut fareantur, accuraram
anatomiae cognitionem medicinæ tironibus maxime esse neces-
sariam. Profecto qui sui ipsius & aliorum hac in re sunt incu-
riosi, experiuntur aliquando, quam graviter se vindicet illud ne-
glectum γνῶθι σεαυτὸν. Et quamquam aliarum rerum vani-
fimo strepitu turgent, nihil magis illis proficiunt, quam ut, ubi
usu venerit, & publice e. gr. in rebus forensibus suam dicere
debeat sententiam, potent se in alium terrarum orbem dela-
tos; & sic saepè ludibria quædam, aliis excitando efficiunt, ut
totum corpus ipsorum scientia eneretur & profligatur. Ita
non negligenda sunt minora, quippe sine quibus maiora con-
stare haud possunt; Id quod etiam valer de altero momento,
pathologia scilicet, quæ de morborum caussis exponit. Magni
profecto usus est sana de morborum caussis doctrina & peni-
tior earumdem cognitio; unde iam veteres medicum ad mor-
bum sanandum sufficere crediderunt tantum, quantum ad co-
gnoscendam causam sufficerit. Quum enim morbos curare
idem sit, ac eorum caussas tollere, sponte consequitur, eum,
qui etiam hac ratione non scit, quid homunciones intra prä-
cordia sua habeant, hoc est, qui veras morborum caussas non
perspicit, vel ventum ferire, vel satis impedit ac empirice cu-
rations instituere, tametsi didicerit agri identidem parare
anatinam. Sed haec hæc tenus. Venio nunc ad TE, CANDIDATE DOCTISSIME, & quum in hac utraque parte,
præter studia elegantiora olim in *Pedagogio Regio* rite exculta,
gnaviter TE per aliquot annos in *Fridericiano* ostendisti, &
ductu exemplo præceptorum ea profecisti, quæ numquam
funt pœnitenda, in spem non solum venio, fore, ut aliquan-
do rei medicæ sis utilissimus; sed habeo etiam, quod gaudeam
TIBIque applaudam. Appludo igitur ex animo, atque inge-
nue novos TIBI collatos honores congratulor, nihilque ma-
gis habeo in votis, quam ut DEVS illos benigne & clemen-
ter fortunet, ac nihil non felix prosperumque TIBI indulgen-
tissime largiatur. De meo studio erga salutem atque incolumi-
tatem TVAM, credo, TE cognovisse ex præteriti temporis
testimoniis, quibus me cumulatissime satisfecisse persuasum ha-
beo, nec matri TVÆ dulcissimæ, quamvis sit singulari in TE
amore,

amore, hac in re concederim, ut TE, quam ego, salvum ac
felicem maluerit. Quare iam non ago pluribus, sed id tan-
tum in extrema epistola pono, quod tota cogitatione possum,
nihil scilicet esse, CANDIDATE NOBILISSIME, quod fu-
turo tempore de mea in TE dubites benevolentia, sed velim
TIBI plane persuadeas, me, uti salutis TVÆ cupidus præ-
ritis annis fui, TIBI postea quoque præsto esse futurum. Va-
le, & me, ut amas, ama. D. in Fridericana a. d.

XXIII. Aug. MDCCXLV.

Glück zu! Geehrter Freund, da Du nun höher steigest,
Und der gelehrten Welt von Deinem Wissen zeigest.
Weil Du die Medicin nicht obenhin studirst,
So ist es nun Dein Lohn, daß Du wirst promovirt.
Hnges gibt Dir heut das grösste Ehren Zeichen:
Der Höchste lasse es zu Deinem Wohl gereichen.
Ersphahre keinen Fleiß, zeig' alles treulich an,
Was zu dem Leben dient, und sicher helfen kan.
Zeigst Du denn ohne Falsch den rechten Weg zum Leben,
So wird der Höchste Dir den Segen dafür geben.

Johannes Regius,
aus Halle, Med. Cand. Oppon.

Sepriesene Bergsiedrungs-Kunst,
Du lehrest uns des Schöpfers Stärke
Und zeigest seiner Allmacht Werke:
Zerstreust den eitlen Wahns und Dunst
Der sonst Verstand und Witz verbündet.
Dein edler Fleiß, kan's auch bezeigen,
Drum wird Dein Ruhm allstiers da steigen
Wohin Dein muntrer Fuß sich wende
Doch wächst dereinst Dein Glück hiedurch
So denck an mich und . . .

J. A. Reich,
aus dem Solms-Laubachischen
d. A. K. B. Opponens.

Sic

Sic monstraturus medicæ cultoribus artis
Munera quos dignos poscat, Apollo, suo:
TE vocat, exemplum certum magnumque futurum
Vult scripta exemplo luceque digna TVA.
Adfers; accipiens versatque legitque probatque
Et factum votis praedicat esse latis.
Spe fibi completa; & morbis sperare dolentes
Dummodo spirent, ex TE meliora iuber.
Hinc TVA vota implet TE Doctoremque salutat.
Num possim laudes accumulare TVAS?
Non possum; nihil refert; modo gratos honores
Gratulor, accipias, Doctor amice TIBI.

J. C. NASSE

Bielefelda Ravensbergicus

Med. & Philos. C.

Nus einem Freundschafts-Erieb will ich Dir Glück zu-
rufen,
Westeige nur getrost Hygäens Ehren-Stufen.
Der Höchste wird Dir auch den Seegen reichlich schenken,
Und alle Handlungen zu Deinem Besten lenken.

Mich. Andr. Gross,
aus Regensburg,
M. Cand.



00 A 63 29


ULB Halle
002 836 548

3



5b.

Retro



DISSERTATIO IN AVGVRALIS ANATOMICO - MEDICA
SISTENS

SINGVLARIA QVÆDAM AD VESICVLAM FELLEAM EIVSQVE BILEM SPECTANTIA

QVAM

DIVINI NVMINIS AVSPICIS IVSSV ET AVCTORITATE
GRATIOSI ORDINIS MEDICI

PRÆSIDE

VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO ATQVE
EXPERIENTISSIMO

DN. JOANNE JVNCCKERO

MEDICINAE DOCTORE EIVSDEMQUE PROFESSORE
PVBLICO ORDINARIO

DOMINO PATRONO PRÆCEPTORE AC PROMOTORE SVO
PARENTIS LOCO ÆTATEM COLENDO

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQUE IN ARTE MEDICA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIEBV RITE OBTINENDIS

H. L. Q. C.

AD D. SEPT. ANNO MDCCXLV.

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT
AVCTOR ET RESPONDENS

IOANNES DAVID LORENTZ,

HALENSIS MAGDEB.

HALAE MAGDEBURGICAE

Typis IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.